

Franckesche Stiftungen zu Halle

Adami Rechenbergi[i] Svmmarivm Historiae Ecclesiasticae

Rechenberg, Adam

Vitembergae, MDCCLXVII

VD18 12484725

D. Martini Chemnitii Oratio De Lectione Patrum Sive Doctorum
Ecclesiasticorum

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213274)

trouersiae tamen quas cum *Donatistis* habuit, adeo eum excitant, ut se totum mutaret et maxime defenderet: haereticos persecutione cogendos esse ad orthodoxam fidem, uel etiam plane extinguendos, quae est sententia, uil uides, terribilis ualde et inhumana.

D. MARTINI CHEMNITII
ORATIO

DE
LECTIONE PATRVM SIVE DOCTORVM
ECCLESIASTICORVM

INSTITERVNT apud me amici, ut meam de Patrum lectione sententiam breui oratione exponerem. Eisi autem copiose et utiliter dici poterat, qua ratione lectio Patrum tuto, et quidem cum fructu ad studium sacrae et canonicae Scripturae adhiberi possit; in praesentia tamen liber duntaxat de singulorum Patrum scriptis breuiter aliquid dicere. Perutile enim imo necessarium est, ut ad lectionem illorum accessurus, habeat antea informatam in animo methodum, et sciat, quid in singulis sit praecipuum et quasi emineat, ac ubi cauendi sint scopuli in illis, quibus uel parum dextre, uel parum commode locuti sunt. Multum etiam proderit illa collatio, considerare, qua occasione aliqua incommodius et minus diligenter dicta illis exciderint, et quomodo alia aetas mortis disputationibus, illa postea correxerit. Et multas alias utilitates habet haec res. Sed requirit hominem non tantum multae lectionis, sed praecipue singularis cuiusdam




cuiusdam iudicii, cui quasi in conspectu sit forma doctrinae in Ecclesia omnium temporum. Talis igitur huius argumenti tractatio ab aliis peti potest. Ego ut amicorum petitionibus satisfaciam, breuiter de singulis, quos quidem mihi uidere et legere contigit, aliquid dicam. Dicam autem de illis scriptis tantum, quae ad nostram usque aetatem peruenerunt, de aliis, quae iniuria temporum interciderunt, consulatur libellus Hieronymi de Scriptoribus Ecclesiasticis, quem Augustinus lectu dignissimum iudicauit.

Antiquissimum igitur scriptum est, cui titulum fecerunt CANONES APOSTOLORVM. Extat et seorsim, et in Tomis Conciliorum. Sciendum autem est, quod Distinct. XV cap. sancta Romana discrete dicitur, librum Canonum Apostolorum esse Apocryphum. Et EPIPHANIUS Lib. I. c. 11, Tom. I. Haeresi LXX dicit: διὰ τὰς Apostolorum ἀπὸ μὲν τοῦ ποδοῦ ἐν αὐτοῖς, ἀλλ' οὐκ ἀποστολικόν. Vid. Dist. XVI, ubi ISIDORVS dicit: Ab haereticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur Canones; et quamuis in eis utilia quaedam inueniuntur, tamen inter Apocrypha deputantur. Procedentibus uero temporibus receperunt L. Canones: postea LX, demum in sexta Synodo circa An. D. DCLXXVII. recepti sunt LXXXV Canones. Et Glossa mirabiliter se cruciat, ut illa conciliet. Ex uetustioribus nemo, quod ego sciam, illos Canones allegat praeter EPIPHANIUM, qui ualde iudat, ut Paulum cum istis Canonibus conciliet. Paulus dicit: Virgo, si nubuit, non peccat. Canon uero dicit: Peccatum esse post semel decretam uirginitatem ad nuptias conuertere. Et CYPRIANVS illum Canonem ignorauit. Dicit enim Lib. I, Epist. XI, de illis, quae professae erant uirginitatem: Si perseverare nolint, uel
non

non possint, melius est nudant, quam ut in ignem delictis suis cadant. Ipse etiam Iulius Canonum nihil habet Apostolicum, sed est tale genus dicendi, quale in Dionysii scriptis. Multa sunt ibi, quae probari non possunt, ut, quod rebaptisationem ponunt. Vocant enim *Baptisma haereticorum*, *lauacrum Diaboli*. Vid. *Dist. XXXII*. Vbi notetur, quod Stephanus, Papa Rom. contra Cyprianum, allegat contrariam traditionem, non esse rebaptizandos baptizatos, ab haereticis uel schismaticis. Item XLIX Canon numerat inter libros Canonicos tres Libros Maccabaeorum: cum tota antiquitas contrarium testetur. Item quod trinam immersionem in baptismo fecit necessariam et alia. Est tamen antiquum scriptum, et continet aliqua non inutilia, de antiqua forma gubernationis in Ecclesia. Et quid sit laica communio, unde Eccius probare unam duntaxat speciem Eucharistiae, ex istis Canonibus intelligitur. Obseruetur et hoc. Notum est, quo consilio conditum sit Symbolum ab Apostolis, et quare ita appellatum. Secuti sunt igitur homines, qui alia quaedam confinxerunt, et ut plausibili specie ea obtruderent Ecclesiae, appellarunt Canones Apostolorum, quia dicit Paulus: τὰ αὐτῶ σοιζεῖν κανόνι. Alii uocarunt *diatagm*, quia Paulus dicit: cetera cum uenero, *diatagm*. Haec historica non sunt indigna obseruatu, 1 Cor. XI, 34.

Proximus deinde est DIONYSIVS AREOPAGITA, cuius extant scripta de coelesti hierarchia: de ecclesiastica hierarchia: de diuis nominibus. Item, aliquot Epistolae. Et alia quaedam, quae recensentur apud Suidam. Iam uero nullus ex ueteribus, uel uno uerbo mentionem facit istorum scriptorum. Et Hieronymus, qui tamen expresse texit *Catalogum Scriptorum Ecclesiastico-*




rum, non pōnit Areopagitam in illorum Catalogo, qui scripta sua posteritati reliquerunt. *Valla et Erasmus* collegerunt multa argumenta, non esse Areopagitae illa scripta, quae ipsi inscribuntur. Et si nullum aliud esset argumentum; tamen ipse stylus satis conuinceret, non esse Atticum, nedum Apostolicum scriptum. Putatur esse alterius cuiusdam *Dionysii*. Vt sit, hoc constat apud omnes, non esse certi auctoris: nec, quo tempore sint scripta, facile colligi potest. Ecclesiastica tamen hierarchia propter historica potest legi. Quamquam enim cumulantur ibi ualde multae Ceremoniae, redolentes iam Papisticam superstitionem; tamen collatio Papatus ad illud scriptum ostendit, quantum creuerint superstitiones. Notabile est hoc, quod omnes ceremonias, quas describit circa Sacramenta et alias, dicit tantum significationis gratia adhiberi, nusquam uero ex professo dicit, eas aliquid spiritualis gratiae conferre, sicut nunc Papatus decet. Quamquam negari non potest nec debet, semina superstitionum in illo scripto esse sparsa. Valde enim liberalis est auctor cum suo oleo et multis uerbis, crucibus et aliis ceremoniis, quasi incantat aquam Baptismi, ut fiat lauerum regenerationis: et describit Sacramenta tam multis ceremoniis, non dicam qualibus, onerata, ut uerus usus nullo modo conspici possit. Insuper tam operosae ibi describuntur ceremoniae, ut ne in Papatu quidem retineri potuerint. Ridiculum hoc est, quod dicit, pontificem, quando peculiari prece sanctificat aquam Baptismi, aliquoties ingeminare oden Propheticae Hebraice: et in IV cap. dicit illam uocem significare laudem DEI uel laudare Dominum. Tantum enim tribuit uoci Halleluja. Hoc tamen inde discitur, quod habet usum non contemnendum, nempe,

Rechenb. H. E. Ff quo-

quomodo Ecclesia mentionem fecerit Sanctorum circa Eucharistiam. Quocunque enim tempore scriptus sit iste liber, certe tunc nondum fuit inuocatio Sanctorum in Ecclesia. Dicitur et hoc ex illo scripto, quibus ceremoniis circa sepulturas mortuorum uetustas usa sit: nulli tibi sunt suffragia, ut ex purgatorio liberetur, etc. Et illa possunt opponi in disputationibus contra aduersarios. Item, unde uenerit consuetudo susceptorum, *αὐτὸς ὡς* in Baptismo, et quod sit ipsorum officium, ex illo libro dicitur, nec facile alibi reperitur. In altero libro, de coelesti hierarchia, tractat de ordinibus Angelorum, quibus gradibus inter se differant, et quomodo officia sint partita et similia. Sed AVGVSTINVS bene dicit: *Esse thronos, esse dominationes, principatus et potestates, certum est: Sed quomodo inter se differant, ipse nouit, qui condidit, et nos in altera uita a facie ad faciem uidebimus.* Non potest igitur multum iuuare lectorem illud scriptum.

IGNATIUS, discipulus Iohannis Euangelistae, aliquot Epistolas scriptas reliquit, quarum mentionem facit Hieronymus, et fuerunt in magna autoritate apud antiquos. Et nunc habentur in *μικρον, εσθρινω*; sed sunt admixta multa, quae non sunt Ignatii. Vt, quod dicit quarta et sexta feria ieiunandum, et prohibet ieiunium Sabbathi, cum AVGVSTINVS aliter haec disputeret. Idem dicit: *Quicumque cum Iudaeis Pascha egerit, comparticipabit eis, qui Dominum occiderunt;* cum Epiphanius citet canonem Apostolorum plane contrarium, et ex Historia Ecclesiastica aliud probari possit. Item, quod ualde ridiculum est, cum Ignatius Graece scripserit, ille Pseudo-Ignatius dicit: *Scripsi haec uobis nono Calendarum Septembris.* Continentur tamen ibi quaedam bona doctrinalia.


2
it
n
e-
r:
c.
d-
o-
i-
r.
i-
et
r-
i-
se
a
m
i-
a-
d
d
d
u-
u-
s,
i-
n,
n,
i-
o-
bi
rs




IRENAEVS inter illos qui extant, et de quibus nihil dabitur, uetustissimus est. Audiuit *Polycarpum*, discipulum *Iohannis*. Scripsit autem multa, quae recensentur apud *Hieronymum*. Nunc uero tantum *quinque Libri* extant, et illi quidem satis male uersi; cum tamen *Irenaeus* in sua lingua eleganter loquatur: *Epiphanius* enim aliquot paginas ex illo Graece citat. Dicunt Graecum exemplar alicubi extare: et dignum esset, ut prodiret in lucem. Multa enim, quae incommode sunt uersa, dextre inde possent intelligi. Sunt autem libri illi lectu dignissimi, quia fundamentaliter disputant de primis principiis Christianae fidei. Haeretici enim tunc reiciebant Scripturam, et sua etiam absurdissima deliria obtrudebant Ecclesiis, nomine traditionum Apostolicarum. Exponit igitur, quae sit uera traditio ab Apostolis commendata Ecclesiae: nempe, cuius summa comprehensa est in Symbolo, (nam fere totidem uerbis recitat Symbolum) et dicit, illam traditionem in omnibus Ecclesiis Apostolicis eandem esse. Huic addit textum Scripturae et multis ostendit, quae scripta Apostolorum sint canonica. Sumit igitur illa duo, traditionem seu Symbolum et textum Scripturae: et quod cum his non conuenit, reiicit tanquam haeticum. Et hoc bene obseruandum est contra Aduersarios, qui insignes errores et manifestos abusus recipi uolunt, tantum propterea, quod dicunt esse traditiones. Deinde pius animus ualde confirmatur, quando uidet, in descriptione haeticorum istius temporis depictam esse faciem Papatus, cum suis erroribus et abusibus: ut de chrismate, extrema unctione et multis aliis. Deinde continentur ualde multa bona doctrinalia, de singulis fere articulis fidei: de duabus naturis in CHRISTO, de Eucharistia, quod non sit sacrifici-

um, quale fingunt aduersarii : Item, quod eadem fide saluati sint Patres Veteris Testamenti, et sancti Noui Testamenti. Iam uero, quia disputat contra illam sententiam, quam postea Manichaei amplexi sunt, aliquando durius et incommodius loquitur de libero arbitrio. Item, quia disputat contra illos, qui fingebant, alium esse Deum legis iustum et alium Deum Noui Testamenti misericordem; ideo minus diligenter loquitur de discrimine Legis et Euangelii. Alibi uero de fide Christi, et de iustificatione, pie et commode disserit. Non ponit etiam satis explicatam sententiam de peccato originis: quia illos sibi proponit oppugnandos, qui causam peccati Deo tribuebant. Illa in multis locis apud *Irenaeum* ita leguntur: et quando perfecta est causa et occasio, cur ita loquatur, tunc sine offensione et cum fructu potest legi. Leuiores sunt illa, cum exponit *Eloi*, *Adonai*, *Sebaoth*, sed parum grammatice. Item cum dicit, Christum fere fuisse quinquaginta annorum, contra omnem historiam. Vetus obseruauit in eo errorem in fundamento, quod amplexus sit sententiam Chilasticam, et sunt quaedam semina eius in *V. Lib.* cum exponit aliquot capita Apocalypsis.

Eodem fere tempore fuit in Africa *TERTULLIANVS*: et inter Latinos Scriptores, eos quidem, qui extant, uetustissimus est. Scripsit hic multa, quae cum fructu legi possunt: ut de *Principiis Christianae fidei*, eodem fere modo, quo *Irenaeus*. Titulus est de *Praescriptionibus haereticorum*. Defendit etiam articulum Trinitatis contra *Praxeam*, et dicit Ecclesiam credere tres subsistentes personas. Item, de *humana natura in Christo*, titulus est de *Carne Christi*, de *Resurrectione carnis*. Et quinque Libros contra *Marcionem*. Apologeticus eius, quem edidit pro Christianis, pro-





propterea lectu dignus est, quia describit statum ueteris Ecclesiae, ceremonias et disciplinam. Hunc *Tertullianum* postea Clerici Romanae Ecclesiae inuidia et contumeliis eo redegerunt, ut ad Montani dogma delaberetur. Ita enim scribit *HIERONYMVS*: *Et scripsit aliquot uolumina contra orthodoxos, de monogamia, de ieiuniis, de persecutione, de pudicitia, de noua prophetia, etc.* Extant et illa fere omnia, quae propterea legere non inutile est. Sunt enim in illis semina totius Papatus, saepe totidem uerbis, sicut nunc Papistae docent; Et propter illa postrema scripta, in quibus errauit in fundamento, Ecclesia omnes eius libros ponit inter apocryphos, et uult eos caute legi. *HIERONYMVS* cum ipsius auctoritate urgeretur, dicit: *De Tertulliano aliud nihil respondeo, quam Ecclesiae hominem nullum non fuisse.*

ORIGENES floruit circa annum Domini CCXXX, et fuit discipulus *Clementis Alexandrini*, cui etiam postea successit in schola *κατηχηστος*. Vnde etiam conscripsit *Summam Doctrinae Christianae*, cui titulum fecit *περί τῆς ἀληθείας*. Vir fuit maximi ingenii; unde aliquot millia librorum edidit. *HIERONYMVS* dicit: *Quis nostrum tanta potest legere, quanta ille conscripsit?* Nunc uero tantum habemus, quod ex *Ruffini* uersione ad nos peruenit, duo uolumina. Porro scripta eius semper fuerunt suspecta, et *HIERONYMVS* dicit: *Credite experto, uenenata sunt illius dogmata; et aliena a Scripturis Sacris uim facientia Scripturis.* Et addit: *Laudo interpretem Originem, sed non dogmatistam.* Sed tamen *Epiphanius*, et ceteri, hoc in ipsius interpretationibus reprehendunt, quod planissima dicta transformat in monstrosas allegorias. Post mortem ipsius, an. CCL magnae ortae sunt turbae in Ecclesia, quibusdam defendentibus

Originem, propter ingenii praestantiam et vitae integritatem, quibusdam anathematizantibus ipsam mortuum, cum omnibus suis scriptis. Hinc *Epiphanius* et *Hieronymus* collegerunt multos insignes errores *Origenis*. *EVSEBIUS* contra in *Historia Ecclesiastica* integrum Librum consumit in laudibus *Origenis*. *HIERONYMVS* modeste inquit: Non consuevi eorum insultare erroribus, quorum miror ingenia. Quod si quis nobis opposuerit errores eius, audiat libere, interdum magnus dormitat *Homerus*: non imitemur eius uitia, cuius uirtutes non possumus sequi. Notabile hoc est, quod citat *HIERONYMVS* ex *Epistola* quadam *Origenis*, ubi cum dolore fateretur, se multa erronea scripsisse, et culpam confert in *Ambrosium* notarium, qui illa, quae *Origenes* secreto ingenii causa disputaret, consignauit. Legi tamen potest, sicut *Hieronymus* cum legit, ut bona eius eligantur, reliqua auctori relinquuntur.

CYPRIANVS Martyr, circa annum Domini CCLX ob uitae sanctimoniam et confessionis constantiam, in maxima apud omnes fuit auctoritate. Extant quatuor eius *Libri Epistolarum*. Aetas eius incidit in talia tempora, quae non tam occasionem disputandi, quam consolandi et exhortandi uinctos praebant. Hinc *Epistolae* eius pleraeque sunt generis suauitatis, et referunt pectus ardens pietate, ita ut lectorem accendere possint. Doctrinam habet contra *Novati haeresin de Eucharistia*, multa *historica de Forma Gubernationis Ecclesiae*, istius temporis, et quod multis in locis disputet, omnia esse exigenda ad Canonem Sacrae Scripturae. Quia uero tunc inter saeuitias persecutionis, multi abnegabant doctrinam, et postea simulata poenitentia redibant ad Ecclesiam; rursus uero orta alia persecutione primi erant, qui non tantum abnegabant, sed prodebant reliquos;


liquos; ideo nimis est in exigendis publicis illis multis, quas *Satisfactiones* uocant; adeo ut dicar remissionem peccatorum non ualere, nisi illa satisfactione fuerint persoluta. Dicuntur illa dariter; sed tamen comoda interpretatione possunt mitigari, si quis consideret causam dictorum, et rationem illorum temporum. Saepe etiam de aliis minus proprie loquitur, sicut in declamationibus uel materiis suasoriis. Habuit etiam errorem in fundamento, ut quod statuit cum suo Concilio Africano, Baptismum non ualere, nisi sit datus a ministro orthodoxo et pio, et ideo censuit rebaptizandos. Renouarunt istum errorem *Donatistae*, tempore *Augustini*, et iuebantur se auctoritate *Cypriani*; sed quia est error in fundamento, *Augustinus* auctoritatem *Cypriani*, salua ipsius honorificentia, hac in parte, plane reiecit: et ueram sententiam ex Scriptura quaesuit. Dignum autem hoc est observatione, quod *Cyprianus* tam diligens lector fuerit *Tertulliani*, ut nullum diem transmitteret, quin magistrum (*Tertullianum* intelligens) sibi dari iuberet, sicut refert *Hieronymus*. Et quia multa Montanica deliramenta sunt immixta scriptis *Tertulliani*, infectus est etiam *Cyprianus* illa opinione, quod *ἁλοφρονέας* et ceremoniis, superadditis Sacramentis tribuit efficaciam gratiae et remissionis peccatorum, etc.

LACTANTIUS fuit circa annum Domini CCCVI, scripsit *de Opificio DEI*, et *Institutiones Fidei*, et ut dicam breuiter, non multum potest iuuare lectorem. Tantum enim fere contra Paganismum disputat. Annotauit hoc *Hieronymus*, quod *Lactantius* negat Spiritum Sanctum esse substantiam, id est, personam.

ATHANASII Historia omnibus notissima est. Reliquit autem aliqua scripta posteritati, et Graecum quidem exemplar habetur. Nam *D. Philippus* eo ali-

quamdiu usus, nondum tamen editum est. *Symbolum* ipsius magno totius Ecclesiae consensu semper probatum est. Extant deinde, ex versione qualicumque duo Libri digni lectione: unus *contra Gentiles*, alter *de Incarnatione uerbi*. In fine enim dicit, se ea tradere, quae a peritis Scripturae doctoribus et a Christi martyribus didicerit. Extat deinde disputatio *Athanasii*, habita *contra Arium* coram gentili iudice. Feruntur praeterea alii eius Libri *de Trinitate*: sed non uidentur per omnia tanti uiri eruditioni et grauitati respondere, et propter illos libros utile esset, Graecum Exemplar edi. Conscripsit etiam *Tiulos*, in quibus casibus, quibus Psalmis, uel pro oratione, uel pro gratiarum actione, utendum. Fertur etiam Opusculum *Athanasii* nomine, *de uariis quaestionibus*, quod non potest ipsius esse; quia allegat *Epiphani* opus Panarium.

Eodem fere tempore apud Latinos fuit *HILARIUS*, cuius honorificentissimam mentionem facit *Hieronymus ad Marcellum*: quamuis alibi in illo Gallicum cothurnum, et graecos soscuculos reprehendat. Primus apud Latinos scripsit *de Trinitate*; Scripsit etiam *de Synodis Orientalium*; ubi ostenditur, in quibus Episcoporum conuentibus Ariana haeresis sit damnata. Illum librum uertit ex Graeco. Scripsit etiam *Commentaria in Mattheum*, et in aliquot Psalmos; sed illa ad uerbum dicitur transtulisse ex *Origene*: et si Historiae hoc non dicerent, tamen res ipsa satis ostendit. De Trinitate Graecorum sententias collegit: et nisi ipse collegisset decreta Synodorum Orientalium, iam nihil sciremus, quia in *Tomis Conciliorum*, sicut nunc habentur, ceremoniae quaedam in illis Synodis sanctae recensentur, nihil uero de dogmatibus. In *Commentariis*, quia illa ex *Origene* transcripsit, saepe satis incommode




commodè loquitur, sicut aliqua possem adscribere, nisi prolixum esset. De iustificatione aliquoties bene loquitur, repetens illud, nos sola fide iustificari. Habet porro errorem in fundamento, qui ab antiquis etiam reprehensus est: quod aliquoties dicit, nullum fuisse sensum doloris in Christo, sed sicut telum transit per aerem, uel per aquam, sine aliquo sensu, ita fuisse omnes passiones in Christo. Dicit enim Verbum recessisse ab humana natura, cum Christus clamat: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Bonaventura uero scripsit, se ex *Guilhelmo Parisensi* auduisse, quod *Hilarius* illum errorem peculiari quodam libro retractarit, sed non extat.

Antequam pergamus, notandum est, quod florentissima aetas praecipuorum Patrum in idem fere tempus incidit. *Athanasius* enim iam senior scripsit ad *Basilium*, tunc adhuc iuuenem, et illa epistola extat. Iam uero *Basilius* et *Nazianzenus* aliquot annos *Adrianus*, in communibus studiis et eadem habitatione, uersati sunt. Praeterea extat Epistola *Basilii* ad *Ambrosium*, et *Ambrosius* baptizauit *Augustinum*, *Hieronymus* uero senex fuit, iuuenem adhuc existente *Augustino*, sicut Epistolae ostendunt. Et *Epiphanius* scripsit ad *Hieronymum*. Fuit etiam *Chrysostomus* eodem tempore. Fuit igitur seculum illud pulcherrimum, et postea uix umbra talium uirorum in Ecclesia fuit, per multa secula, simul fere florere coeperunt, et simul etiam desierunt.

Eusebius Caesariensis, quem etiam *Pamphilus* uocant, tempore *Constantini Magni* et *Nicaenae Synodi* floruit. Scripsit *Historiam*, quae *Ecclesiastica* uocatur, et primus contexit *Chronologiam* omnium temporum. Scripsit item libros de *Demonstratione* et *praeparatione Evangelica*. Quia uero apertissimus fuit pro-

pugnator Arii (ut refert *Hieronymus*) et in laudibus atque excusatione *Origenis* totum consumpsit librum, *Gelasius in cap. sancta Romana*, refert Historiam eius inter Apocrypha: quamquam legi illam uelit. Sed *Hieronymus* dicit: *Ecclesiasticam pulchre Eusebius Historiam texiit*. Et *Basilius* uocat eum *ἀγιόγραφον*. Et res ipsa ostendit, scriptum esse necessarium; cum illi auctores, unde ipse sumpsit, intercederint: et tamen maior est grauitas in illius Historia, quam in *Nicephori* Chronico ipsius (quamquam secutus supputationem Septuaginta in temporibus non praecise conueniat) propterea laudem meretur; quod uiam patefacit reliquis ad diligentio rem supputationem. Non enim facile esset (ne dicam impossibile) contexere chronologiam omnium temporum, si non posteritas eius uestigia, quae sequeretur haberet. Reliqui libri de demonstratione et praeparatione diligenter sunt scripti contra gentiles, sed non habent multa doctrinalia unde lector admodum posset iuari, praeter historica quaedam Ecclesiasticam Historiam uertit *Ruffinus*, sed suo more: ideo graece commodius legi potest.

BASILIVS Magnus ex nobili genere fuit, et ut ipse scribit, a puero Christianis parentibus educatus, didicit sacras literas. Vid. *Epist. LXXV*. Versatus autem est in multis Academiis, et tandem profectus Athenas, sodalis et contubernalis fuit *Nazianzeni* per aliquot annos. Postea multas Ecclesias perlustrauit quaerens consensum istius doctrinae, quam a nutrice sua acceperat, quae *Gregorium Neocaesariensem* audiuerat. Multa erudita conscripsit de articulo *Trin. de diuinitate Filii*, et *Spiritus Sancti*, et praeterea multa doctrinalia lectu dignissima. Quam commode enim et pie loquitur de articulo iustificationis, in scripto de humilitate?





litare? Et quid multis? *Yerustas* non sine causa illum uocauit Magnum. Iam uero nec illud negari potest: quod alicubi incommode et improprie loquatur, sicut de libero arbitrio; et peccato originis; quaedam ipsius dicta mitigat et excusat contra Iulianum. Secessui uero et monachismo plus, quam par est, tribuit: sed si quis statum illorum temporum consideret, potest dextre illa considerare. Feruebant tunc ut maxime tumultus Ariani, et non tantum conuiciis et clamoribus disputabant; sed saepe in ipsis templis ad gladios perueniebatur. Cum itaque uideret *Basilius*, non esse locum modestis ingeniis, secessit cum suo *Nazianzeno* in insulam quandam, ubi certis lectionibus, psalmodiis et aliis exercitiis pietatis uacabat. Retractus tamen est ad Episcopatum: et cum uideret deploratum istorum temporum statum, nec quicquam profici eruditione uel modestia, maluisset in honesto otio procul ab istis turbis uiuere; ideo tantopere commendat secessus, et hyberbolice saepe extollit exercitia istius generis uitae. His cognitis, possunt *Basilii* scripta aliquo cum fructu et sine offensione legi.

GREGORIUS NAZIANZENVS, contubernalis *Basilii*, ingeniosus et doctus fuit. Per XXX enim annos in uariis Academiis didicit: sed non fuit tam idoneus ad gubernationem Ecclesiarum, sicut *Basilius*. Ideo uel recusauit Episcopatus, uel, si compellabatur suscipere gubernationem, reliquit Ecclesias, petens secessus, et demum in tali philosophico otio mortuus est. Scripsit aliquot libros de diuinitate Filii, tam acute, ut uix aliquis suspicari possit, quid uelit dicere. *Orationes* uero eius sunt elegantes, et propter multiplicis historiae cognitionem legendae sunt: quamuis etiam aliqua doctrinalia tractent. Habet uero suum quoddam

dam

dam peculiare genus dicendi, satis floridum: quod propterea obseruandum est, quia tunc primum coeperunt apostrophae ad sanctos mortuos. Sunt enim Apostrophae illi tam usitatae, ut dicat: *O tu Pascha magnum et sacrum, tecum enim colloquor etc.* Ideo illae figuratae locutiones in declamationibus non probant inuocationem sanctorum. Nam de dogmate, an orent uel sint compellendi, manifeste dicit *Basilius*, nihil certi se habere. Quomodo autem *Augustinus* ad gubernationem Ecclesiae uenerit, ex ipsius Historia notum est. Scripsit autem multa, sed optimus est ille labor, quod in *omnes Epistolas Pauli Commentaria* scripsit, quae lectorem aliquo modo iuuare possunt. Extat et *Commentarius eius in Lucam*. In *Esaiam* etiam scripsit, et uetus illud scriptum praeter ceteris omnibus in auctoritate habuit, sed iam non extat. In commentariis Paulinis commodissime loquitur de iustificatione. Sunt praeterea alia ab eo scripta, ex professo doctrinalia. Habet tamen quaedam, minus commode et proprie dicta, praecipue de libero arbitrio, et peccato originali, quae Pelagiani pro sua sententia allegarunt. Sed quomodo sint intelligenda, *Augustinus* *Lib. I. contra Iulianum* pulcherrime disseruit. Sunt autem in magna auctoritate, etiam apud Orientales: ita ut *Hieronymo* uirtio datum sit, quod calicubi parum honorifice ipsius mentionem fecerit. *Hieronymus* ingenium fuit praestantissimum, et unicus ille labor aeternam meretur laudem, quod *sacra Biblia ex fontibus uertit*. Et scribunt, ex Patribus solus *Hieronymus*, nam ex Christianis parentibus, habuisse cognitionem Hebraeae linguae. Quia uero praeterea fuit multae lectionis, uariae et difficiles quaestiones





stiones ab eo sunt erudite explicatae. Et in illo genere, et praeterea in *commentariis*, ualet et dignus est qui legatur. Quando uero disputat de aliquo articulo fidei, non conferri potest ceteris Patribus. Amans fuit disciplinae, ideo saepe tribuit electis exercitiis meritum remissionis, donec exortis Pelagianis, quaedam mitigare et retractare coactus est. Damnat enim quaedam in *Pelagio*, quae *Hieronymum* antea et scripsisse et sensisse constat. Praeterea quando aliquem sibi refutandum proponit; omnino nimis hyperbolicus est, et acerbitas illius et hyperbolica uehementia, etiam sui temporis hominibus displicuit, sed noluerunt illum irritare. Ita, cum satis scabiose de coniugio scripserat contra Iouianum, et aliquid respondendum esset: *Augustinus* scripsit libros de bono coniugali, adeo modeste, ut uix animaduertatur, cuius errori oppositi sint. Quae igitur pertinent ad Grammaticam et Historiam, ex *Hieronymo* disci possunt, doctrinalia uero non item.

DE IPHANTII habemus scriptum de *Haeresibus*, ex quo etiam *Augustinus* compendium quoddam contraxit, quod extat, de *Haeresibus*, ad Quod uult Deum. Est autem scriptum ualde bonum, et utile propter historiam. Quae certamina mota sint contra singulos articulos fidei: et quam sententiam Ecclesia in singulis articulis contra haereticos defenderit, haec duo utiliter possunt ex ipsius scripto disci. Nam quas ipse opponit refutationes et confirmationes, aliquando sunt frigidiores. Scripsit etiam *Ancoratum*, ubi praecipue tractat articulum de Filio DEI.


CHRYSOSTOMI magna fuit eloquentia. Scripsit *Commentaria in Genesin, in Matthaeum, in Iohannem*, et in *omnes Epistolas Pauli*: quae adeo fuerunt posteritati


ritati

ritati probata, ut *Theophylactus* in compendium illa contraxerit, relictis declamatoriis, quod hodie ab omnibus legitur et probatur. Scripsit praeterea multas *Homilias*, quarum lectio potest instituere studiosos. Sed tamen observandum est hoc, quod fuit et eloquens et valde uehemens, ideo ipse fatetur, se saepe loqui declamatorie, non uere. Sicut etiam *HIERONYMVS* de se dicit, excusans quaedam incommode dicta: *Rhetorici sumus, et aliquid declamationibus dedimus*. *Pelagiani* valde iactabant, *Chrysostomum* secum facere, quia de libero arbitrio et peccato originis loquitur saepe non satis proprie. Sed *Augustinus* uult sententiam *Chrysostomi* sumendam esse, non ex homiliarum declamationibus, sed ex illis locis, ubi proprie loquitur ex professo. Vid. *Librum primum contra Iulianum*. Plura possent dici, sed temporis breuitas nunc non concedit.

AUGUSTINO omnium eruditorum iudicio conceditur palma; sed considerandum est, quare et quibus in rebus. Incidit autem in illa tempora, ubi multa simul certamina mota sunt de praecipuis articulis fidei, et cum omnes Ecclesiae in ipsum respicerent, coactus est opponere refutationes et fundamenta quaerere uerae sententiae. Et inde factum est, quod non tantum habet integras disputationes de multis articulis, sed quod multo magis proprie et commode ueram Ecclesiae sententiam proponit et explicat, quam reliqui Patres, qui nondum motis disputationibus, saepe securius locuti sunt, ut ipse *Augustinus* dicit. Et propterea etiam conatus est multa antiquorum incommodius dicta commoda interpretatione corrigere. Saepe enim in haereticis damnat et reiicit ex Scriptura illa dicta, quae apud Patres totidem uerbis leguntur. Nec ta-

men





men in alieno scripto talis censor est: uerum etiam de suis scriptis duos *Libros retractationum* composuit. Et ita ex *Augustino* discitur, quo iudicio et candore Patrum scripta legenda sint. Primum enim ueram sententiam quaerit ex Scriptura: Deinde si Patres retinuerunt fundamentum, candide eorum dicta interpretatur ad analogiam fidei: etiam quando aliquid incommodi habent. Non patitur autem ea opponi fundamento. Cum uero error est in fundamento, ut *Cypriani* de Baptismo, relinquit eos sine interpretatione, et sequitur sententiam Scripturae. Et dignum est obseruatione, quod ante *Augustini* tempora nimium a multis tribuebatur auctoritati Patrum. Sed cum haeretici suos errores, sine Scriptura, tantum ex Patrum incommodis dictis uellent stabilire, adegerunt *AVGVSTINVM*, ut saepe in suis scriptis repeteret illud axioma, quod omnino necessarium est in Ecclesia, nempe: *Ex solis libris Canonicis probandos esse articulos fidei, reliquorum uero scripta ita legenda, ut liceat in illis improbare et respicere, quae cum ueritate canonica non congruunt, etc.* Plura igitur doctrinalia habet *Augustinus*, quam aliquis reliquorum, et ea etiam magis proprie et commode explicata, quam extant apud reliquos. In *Commentariis* uero non est ita felix: accommodat semper ad locos communes, pie quidem, sed saepe non in loco, quia non habuit perfectam cognitionem linguarum, sicut *Hieronymus*.

Necessario etiam hoc obseruandum est ei, qui cum iudicio et fructu uult legere *Augustinum*, ipsum commode et pie quidem sentire, sed tamen saepe loqui suo more; quia accommodat se ad disputationes et certamina suorum temporum. Ut uocabulum *iustificare*, *iustitia*, *gratia*, usurpat paulo aliter, quam uel in Scriptura, uel in nostris Ecclesiis nunc usurpatur. Pugnat enim contra *Pelagium*, qui tingeat hominem post acceptam remissionem peccatorum, sine auxilio Spiritus S. suis naturalibus.

naturalibus viribus posse legi satisfacere, et ita habere iustitiam. Ideo *Augustinus* iustitiam vocat novam obedientiam, gratiam, auxilium Spiritus S. et iustificare ex iniusto iustum facere. De re ipsa vero pulchre nobiscum sentit, novam obedientiam non esse perfectam in hac vita: et ideo omnium piorum spem unicam esse, quod advocatum habent apud Patrem; qui est propitiatio pro peccatis eorum. Multi hoc non animadvertentes, ubicunque inveniunt vocabulum iustitiae, vel gratiae, comportant omnes sententias, saepe parum vel nihil facientes ad ipsorum propositum. Ideo cum iudicio non tam colligantur, quam eligantur. Unum vero est, in quo ipse suam regulam non observavit: dicit, ex Scriptura probari non posse; an mortui viventium suffragiis iuventur; et axioma fuit receptum apud omnes patres, post hanc vitam nullum esse locum vel poenitentiae, vel remissionis peccatorum. Tamen quia asseratum tunc erat in Ecclesia, mentionem facere mortuorum circa Eucharistiam, concludit *Augustinus* contra Scripturam et illud axioma Patrum, mortuos aliquid iuvare, et dubitat de Purgatorio. Et quod ille dubitavit, *Gregorius Magnus* postea ex Scriptura conatus est confirmare, ita ut Purgatorium fieret articulus fidei. Tam periculosum est, ambigue vel dubitanter loqui de articulo extra et praeter Scripturam.

CYRILLVS praecipuus fuit in Synodo Ephesina, et scribunt, *Augustinum* mortuum anno istius Synodi: Ideo *Cyrillus* fuit postremus fere ex florentissima illa aetate. Quia vero controversia *Nestorii*, de unione duarum naturarum in Christo et de communicatione Idiomatum, non fuit facilis explicari: adeo ut multi Episcopi contra *Cyrillum* cum *Nestorio* publice sentirent, magnae fuit dexteritatis illa ita evolueret et explicaret, ut vera sententia intelligeretur. Nam antiquitas non satis dilerte locuta erat de isto articulo, cum satis erat, Arianos refutasse. Multa autem reliquit Scripta de ista Controversia, quae omnino digna sunt, ut legantur. Scripsit etiam XIV Libros, de Articulis Trin. quibus titulum fecit *Thesauri*. In Iobannem etiam Commentaria, digna ipsius eruditione. Sed desiderantur aliquot libri.

Sed iam cogor finem facere, ideo non possum pertexere catalogum eorum, qui secuti sunt: et ne de his quidem potui dicere quantum volebam, propter temporis angustiam. Amici tamen, quicquid hoc est laboris, boni consulunt. Scriptum Wittebergae die sanctae Catharinae, Anno MDLIV.

